

Hermann Weller

Y

(1938)

Vinifer Auctumnus silvas ubi visit et hortos
Arvaque laetifica veste decorus adit,
Tunc calamos tenues inflat, sua regna peragrans,
Effunditque novos fistula mira sonos.
5 Blandaue dum magici resonant modulamina buxi,
Assumunt facies omnia versa novas.
Flavet acer, virgulta rubent, nitet aurea fagus,
Nec manet, in rebus qui fuit ante color.
Est plaga lucidior, tanquam sine pondere surgunt
10 E tenui nebula culmina summa iugi.
Auctumno leviora placent: mortalibus ipsis
Quod premit ingratum pectora demit onus.
Efficit, ut cocti tumeant sub sole racemi
Pictaque iam domino rideat uva suo.
15 Undique tunc hilari fervet vindemia cantu
Et fluit e prelis per loca dulcis odor.
Tunc nova musta iuvant, delenitique Lyaeo
Numinibus laetis omnia plena putant. –
Me quoque cum turba celebrantem festa sodali
20 Vinxerat haud dura compede dulce merum.
E bene colluto dederamus gutture cantûs;
Omnis erat nostro cura fugata choro.
Afflatusque meri generoso numine, tandem
Constitui sera nocte redire domum.
25 Luna super domuum fastigia celsa nitebat;
Splendor in hoc nunquam lumine tantus erat.
Orbis erat plenus potuit faciesque videri
Risu diducens ora serena levi.
Quid, dea, subrides? Num te quoque vicit Iacchus?
30 An quia, proh, titubat proxima quaeque domus?
'State, domus', dixi, 'quaeso, paulisper; amicae
Parcite, quae dulci pressa sopore iacet.
Odit enim blandos sibi rumpi Lydia somnos;

Novimus: experto credite; state, domus!

35 Sed mihi submisce recitanti 'Lydia, dormis?'
 Illius occurrit praeteritque domus.
 Iamque meos vidi procul occursare penates:
 Vae, labor Herculeus perficiendus erat:
 Non ita difficile est cymbas intrare vehentes
 40 Ut, quae diffugiant, detinuisse fores.
 Sed quem dulcis Amor regit et Iovis ebria proles,
 Est sacer et tutus, sit via dura licet.
 Et validas aperire fores mihi contigit atque
 Sclarum leves exsuperare gradus.
 45 Pervenit – licet offenso pede saepius illis –
 Lassulus ad thalami molle cubile mei,
 Ille fuitque animus mihi, qui solet esse probato
 Aurigae, dubium cui bene cessit opus.
 Nec mihi displicuit, quod ibi mutaverat arte
 50 Omnia mirifice fulgida Luna sua.
 Ecce videbatur totum radiare cubiculum
 Claraque pro sera nocte redisse dies.
 Conclavis paries speciosaque pallia lecti
 Lacte renidebant candidiora mihi.
 55 Qui liber in mensa revolutus forte iacebat,
 Illius poterat vincere charta nivem.
 Nec mora, tentavi notas percurrere chartas:
 Et poterat quaevis littera parva legi.
 Perlecto versu recitavi 'Lydia, dormis?':
 60 Lydia, vox felix, quam mihi dulce sonas!
 Gemma nitens decus amplificat spectabilis auri,
 Tuque per y tantum nobilitatis habes.
 Non ego iam potui tenerum seponere librum,
 Cuncta mihi quamvis languida membra forent.
 65 Conscendi posita gemebundum veste grabatum
 Et legi solito cetera more cubans.
 Languentes oculi ceciderunt saepe legenti,
 Nutavit victum saepe sopore caput,
 Saepe toro lapsurus erat manibusque libellus,
 70 Suntque simul visae delituisse notae.
 Sed tamen obstitimus: nondum vigor omnis et ardor

Cesserat e membris ingenioque mihi.
 Utque reluctabar, fugientia signa redibant
 Et poteram digito fluxa iuvante sequi.
 75 Ac sua pugnanti duplicavit lumina Phoebe,
 Blandaue erat, studiis talibus apta, quies.
 At quid id est? Heu quaeque suo iam littera cedit,
 Ecce, loco suetam deseruitque vicem.
 Mira loquor: citus ut pulex haec exsilit, illa
 80 Forficulae¹ similis margine lapsa cadit.
 Plurima pars, levium velut agmina formicarum,
 Turbida per lecti pallia tota ruunt.
 Pallueram, quidquidque mihi superesse comarum
 Glorior, arrectum, proh, stetit omne metu.
 85 Namque meae menti celeberrima monstra subibant,
 Qualia rex quondam viderat Oenopius,
 Cum nova Myrmidonum tribuisset corpora summus
 Numine formicis Iuppiter ipse suo.
 Nec falso metui: si non ibi corpora vera,
 90 At quaedam licuit cernere membra mihi:
 Hostiles oculos frendentiaque ora movebant
 Nec non cum manibus brachia parva suis.
 Iamque suam quaevis emisit pagina turbam,
 Parsque meas – heu, heu! – iam petiere manus.
 95 Emicui lecto rabidus nimiumque procaces
 Excussi: stridens decidit atra cohors.
 Sed doluit – licet insidiis exempta – diuque
 Haec mea prurimum sensit, ut usta, manus.
 Iam lectus iamque omne solum, iam mensa locusque
 100 Quilibet indomita peste refertus erat.
 Murmura confusae resonabant undique turbae
 Et simul argutis sibila mixta sonis.
 ‘Fallor an hic’ dixi ‘venient civilia bella,
 Et me de medio cedere tempus erit.’
 105 Et cessi quantum licuit. Iam virgula clavae
 Esse loco patitur punctaque iacta volant.
 Turma premit turmam; magni proceresque laborant
 Iamque timent, ne se vincat ubique minor.

¹ Forficula auricularia L.

Et cadit O magnum: iacet, heu, quamvisque reclamat,
 110 Ut trochus a spurco volvitur – ecce! – choro.
 Non tulit hoc populi princeps ductorque sagax, A,
 Qui gravior sociis splendidiorque fuit.
 Saepius hic rabiem potuit frenare popelli,
 Saepius arguta flectere voce gregem.
 115 Tunc etiam vix audierat plebs caeca severi
 Verba sonora ducis, cum stupefacta silet.
 Ille: ‘Quis ah’ dixit ‘cives furor incitat? Irae
 Parcite! Ne proprios dilacerate viros!
 Sunt alienigenae, quorum satiare, Quirites,
 120 Sanguine iam dudum pectora tempus erat.’
 Necdum finierat: fremitu stridente faventum
 Quaeritur Y psilon; protrahiturque nocens,
 Perducuntque reum clamantes ante tribunal
 Ad tenuemque ligant bracchia vara pedem.
 125 Tum sic incipit A: ‘Animos attendite, cives:
 Grammaticus (– tremui! –), credite, noster amat.
 Noster amat Latio – pudor est – non nomine dignam
 Quaeque peregrinos praeferat ipsa sonos.
 Sic ergo malus iste potest corrumpere mores!
 130 Perdidit iste viros et muliebre genus.
 Fecit, ut ille bibo vapidum proflaret Iacchum
 In nostros, media carmina nocte legens.
 Sed tamen hoc levius (– tulimus graviora, Quirites –);
 Est aliud quod nos dira timere iubet.
 135 Sermonem studet hic sensim vitiare Latinum:
 Publica res agitur vitaque nostra, viri!
 Nec, quia sacra lues nondum pervenit ad ima
 Viscera, securi spernite tale malum:
 Saepe levis raptim creverunt semina morbi
 140 Corporaque horrendae tota dedere neci;
 Saepe latens scintilla feros surrexit in ignes
 Inque suos cineres procubuere domûs.
 Ne morer exemplis, memoro pro pluribus unum:
 Te quoque turbari tu, Tiberine, doles.
 145 Qui Tiberis Latio celebrari nomine gaudes,
 Thybridis impura voce notatus oles.

Haec si perniciēs vel sancta vocabula tangit,
 Verborum plebem qualia fata manent?
 Nec parat insidias tantum: nos despicit omnes;
 150 Iactat enim patriam conspicuumque genus.
 Graeculus est sane: *ψιλός*, calvusque levisque,
 Vox vero querulum vixque virile sonat.
 Nec iam plura noto: gravis est manifestaue culpa;
 Est vestrum poenae constituisse genus.
 155 Cedimus hoc vobis nostro de iure, Quirites:
 Hic sensum populi iudiciumque sequar.’
 Dixerat. Ingentes strepuerunt undique plausus;
 Nec mora, consilium rite senatus habet.
 Hic suadet gladium, lapides pars, ille securim,
 160 Hic laqueum, turpem mitior ille fugam.
 Distrahitur populus, iactant mala iurgia, caedem
 Incipiunt, omnes ira furorque rapit.
 Infecitque solum lentus pro sanguine nigror:
 Miscent confusi vulnera saeva globi.
 165 Interea fugit inde reus rumpitque ligamen
 Quoque vocat thalami lata fenestra, volat.
 Remigio manuum partem se librat in imam
 Illius, exiguum ponit ibique pedem
 Bracchiolumque movens tenerum valedicere tentat
 170 Arridensque mihi devolat, ecce, foras.
 Obstipui. Nimis ignavum segnemque vocavi
 Me, puduitque simul destituisse reum.
 Aeger eram curis. Atqui mora longa nocebat
 Et memor absentis me cruciabat amor.
 175 Ecce fenestra viam dedit et, delapsus, in hortum
 Nescio quo veni subveniente deo.
 Miraque conspexi: tendens in vertice pini
 Υ psilon stabat brachia parva meum.
 Maius erat solito: dulci cum lumine Phoebes
 180 Imbiberat – si fas credere – roris aquas.
 Quid facerem? Piguit sudantem scandere truncum.
 Dixi igitur blando talia verba sono:
 ‘Υ, precor, o redeas: fidus te quaerit amicus,
 Te cum grammatico Lydia pulchra choro.

185 Te petet ipsius populi mutata voluntas:
 Haec quoque tempestas, sit licet atra, cadet.
 Quaesumus usque, redi: splendent vulgaria, rarum
 Si decus accessit; rara probatur avis.
 Lilia nobilitat stagni Gangetica lotus,
 190 Nobilitat vitreas unica gemma fabas.
 Tu quoque nescio quid festi popularibus addis
 Ausoniae verbis Ausoniaeque notis.
 Hospes ades: salve. Non iam violaberis hospes,
 Si quid apud cultos advena iuris habet.
 195 Tu peregrina sapis, tecum mysteria ducis,
 E veteris mythi tu quoque fonte venis.
 Te resonante subit Graiae telluris imago
 Quidquid et aeterni gentibus una dedit.
 Es priscis similis, tradit quos fabula reges
 200 Syrmate verrentes marmora picta soli.
 Nobilis ipse, tuos comites extollis: et inde
 Nominibus multis venit opimus honor.
 Sic nihil est nostrae quam Lydia dulcius auri,
 Vique tua fiunt nomina grata Lyrae.
 205 Vocibus in magnis resides: per saecula vivet
 Vox hymni; volitas, mythe, per ora virum.
 Syllaba iura dedit sanctas legesque poetae,
 Qui sua non rhythmo verba carere sinit.
 Sed maiora loquar: vasti quae foedera mundi,
 210 Semina quae rerum prima vicesque docet,
 Naturae faciem moderantesque omnia leges,
 Sacratum *φυσικῆς* ars ea nomen habet!
 Ipse pater divum, magni dominator Olympi,
 Te voluit partem nominis esse sui.
 215 Ergo parce fugae: cuncti te poscimus, hospes,
 Adque tuos socios, ad tua verba redi.’
 Sic ego: sed ridens Ypsilon bracchia vibrat,
 Ut volet ad nitidi sidera celsa poli.
 Iamque per albentem vidi cursantia murum
 220 Agmina perque horti seditiosa vias.
 His spem deposui monstris perterritus, artes
 Iam nihil humanas posse valere putans.

‘Tu fer opem’ dixique ‘superciliumque moveto,
Iuppiter o, si quid nunc quoque, sancte, potes.’
225 Et deus, invicto qui temperat omnia nutu
 Quique tenet dextra fulmina saeva manu,
Intonuit sonuitque fragor simul undique tantus,
 Ut tremerent tellus longaque regna poli.
Me quoque terribilis subito concusserat horror
230 Torpebantque novo pectora victa metu.
Ut tamen horrendo tanquam pulsantis ab ictu
 Sensimus immeritas condoluisse nates,
Cum sensu rediit mihi mens: simul omnia vidi,
 Quaelibet ex animo fugerat umbra meo.
235 Quid potius facerem? Risi, tremuitque cubile
 Laetifico risu tota domusque meo:
Excideram lecto: vigil attonitusque premebam
 Quernea cum Flacci codice strata soli.
Exsilui. Iam luce nova conclavia Titan
240 Complebat, dudum venerat alma dies.
Agmina iam volucrum per caerula regna volabant,
 Ex hortisque recens aëris ibat odor.

Excerptum ex H. Weller, *Carmina Latina*, 2a ed. aucta, Ferd. Dümmlers Verlag, Bonn-Hannover-Hamburg-München, MCMXLVI, p. 136-144 (cum notula auctoris).